

Petite, et dabitur vobis.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

11, 1-13

¹ Factum est cum esset Iesus in loco quodam orans, ut cessávit, dixit unus ex discípulis eius ad eum: «Dómine, doce nos oráre, sicut et Ioáannes dócuit discípulos suos».

² Et ait illis:

«Cum orátis, dícite:
Pater, sanctificétur nomen tuum,
advéniat regnum tuum;

³ panem nostrum cotidiánum da nobis cotídie,

⁴ et dimítte nobis peccáta nostra, síquidem et ipsi dimíttimus omni debénti nobis, et ne nos indúcas in tentatióne».

⁵ Et ait ad illos:

«Quis vestrum habébit amícum
et ibit ad illum média nocte
et dicet illi:

“Amíce, cómmoda mihi tres panes,

⁶ quóniam amícus meus venit de via ad me, et non hábeo, quod ponam ante illum”;

⁷ et ille de intus respóndens dicat:

“Noli mihi moléstus esse;
iam óstium clausum est,
et púeri mei mecum sunt in cubíli;
non possum súrgere et dare tibi”.

⁸ Dico vobis:

Et si non dabit illi surgens,
eo quod amícus eius sit,
propter improbitátem tamen eius surget
et dabit illi, quotquot habet necessários.

⁹ Et ego vobis dico:

Pétite, et dábitur vobis;
quærite, et inveniétis;
pulsáte, et aperiétur vobis.

¹⁰ Omnis enim qui petit, áccipit;
et, qui quærit, ínvenit;
et pulsánti aperiétur.

¹¹ Quem autem ex vobis patrem fílius petíerit piscem,
numquid pro pisce serpéntem dabit illi?

¹² Aut si petíerit ovum,
numquid pórriget illi scorpiónem?

¹³ Si ergo vos, cum sitis mali,
nostis bona dare fíliis vestris,
quanto magis Pater de cælo
dabit Spíritum Sanctum peténtibus se».

Verbum Dómini.